



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Scientia Salvit̃s, Sive Considerationes Piæ, Præcipuam
Spiritualis Vitæ Materiam complectens**

Laberhittel, Samuel

Ingolstadii, 1660

210. Dominica 6. post Pentecost. De Acedia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59837](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59837)

Dominica 6. post Pentecosten. 378

primanæ, præsertim circa illa vitia, in quibus me sentio magis debilem. Orabo Divam tanquam Mediaticem, per virtutes vitijs oppositas, ut in filio Evæ mutet nomen gulosi, &c.

MEDITATIO CCX.

Dominica. 6. post Pentecosten.

De Acedia.

Aspiciam vitium Acediæ, somnum vitiosum, prohibitum à Domino, Marc. 13. Petam illud intelligere, & evadere nundinas diaboli. Matth. 13.

Conf. 1. Acediam esse tristitiam de bonis divinis, ac spiritualibus, qua propter adjunctam difficultatem mala nostra censemus, & præ incuria ac negligentia ex ipsa tristitia nascente negligimus; & duplex est: altera peccato mortali conjuncta, quâ quis ea, quæ sunt spiritualis profectûs, abominatur, & ardentius, quæ sunt animæ graviter noxia, amplectitur; altera verò est onus animæ, & ex multitudine peccatorum levium, aut passionum immoderantia, distractionum, curarum, procedit, unde spiritualia exercitia universa judicat tristia, & molesta, & cum fastidio ac nausea exercet. Acediam comitantur: odium honorum spiritualium, rancor contra inducentes ad virtutem, torpor

in

376 *Dominica 6. post Pentecosten.*

in exercitio virtutum, evagatio mentis curiosa, verbosa, inquieta, pusillanimitas, & desperatio; ideo S. Climacus de Acedia inquit: *Est mater desperationis.*

Conf. 2. Remedia contra vitium Acediæ:

1. Assidua oratio, quâ petam è gelu pigritiæ educi. 2. Novissimorum, & acerbæ poenæ pigris præparatæ meditatio. 3. Considerandum, quàm invisa sit DEO hypocrisis; est autem hypocrita, quicumque in aliquo temporis gradu consistit. Dividet tales Dominus. Matth. 24. 4. Idiotæ, annis minores cælum rapiunt, virtutem obtinent, & senex, literatus, aliorum Magister, magis indies per socordiam à virtute discedet. 5. Periclitantur tepidi, ne in pristina peccata cadant, aut in majora labantur. 6. Considerandum tempus breve, quod ad proficiendum concessum est, nec omittenda occasio lucrandi gratiam, quæ se nunc ingerit. 7. Ideo non ab Acedia vinei, quia laborem & afflictionem virtutis metuimus, quæ tamen torpendo non excutitur, sed pro leviori fugienda, multò major & molestior incurritur. 8. Considerandum quanta beneficia acceperim, quantis debitis adstringar, pro quorum minimo nunquam respondere potero; omnia in me collata beneficia debita sunt. 9. Virorum spiritualium vitam, morésque, fervorem,

rem, & diligentiam videre, & teporem erubescere. 10. Quærere adiutorium eorum, qui me à somno Acediæ excitent. 11. Non desistendum à cœpto, imò aliquid novi ad me vincendum adijcere. 12. Præsensissimum Acediæ remedium est, ubi callum obduxit, novam vitam incipere, ab omni tepore alienam. *Dixi, nunc cœpi.*

Conf. 3. Indicia victæ Acediæ sunt. 1. Peccata etiam levissima timere. 2. Debita professionis opera cum omni perfectione facere. 3. Agilem esse ad opera supererogationis. 4. Bene statuta diligenter observare. 5. Consortia tepidorum averfari. 6. Virtutem non ordinariam tantum, sed eximiam ac heroicam sectari. 7. Semper se ut tepidum, & ut muneri minimè satisficientem respicere. Sic *Adam*, ut ait Bernard. serm. de S. Andr. *non habuit fortitudinem, quia non habuit fervorem: ut illam consequar, hunc à Sanctissimo petam cum D. Aug. O amor, ô charitas, Deus meus, accende me!*

MEDITATIO CCXI.

Feria 2. Domin. 6. post Pentecosten.

De Vitio inanis gloriæ.

Audiam Psalmistam Psal. 3. dicentem. *U* quid diligitis vanitatem? & Apost. ad Gal. 5. *Nolite fieri inanis gloriæ cupidi: quia*
causa